



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

788. An, & qualiter à Papa derogetur huic publicationi, vel etiam hoc tempus proregetur; & an, & qualiter post lapsum hujus temporis non facta publicatione concedatur restitutio ad publicandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Parif. cit. q. 4. à nu. 51. in præfente tamen cafu non effe reftituendum, tenet Parif. à n. 61. & ex eo Azor loc. cit. Idque propterea, ut Parif. nu. 62. quia ob non factam publicationem amiffit omne jus, quod habebat in beneficio refignato. Unde petendo reftitutionem, tractat de lucro. Parif. nu. 63. citans Gigas. conf. 135. nu. 11. & 12. Et licet detur minori reftitutio propter lucrum ab eò perperam & inconfulto amiffum, juxta l. àit prator. s. ult. ff. de minoribus. & ibi Bartol. & Abb. in c. Conftitutus. n. 5. & Cardin. n. 3. de reftitut. in integ. &c. apud Parif. n. 64. id tamen non procedit, ut ibid. Parif. citatis pluribus, dum tempus currit odio non facientis actum (qualiter odio non publicantis annullatur actus provisionis per Conftitut. Gregorit, ut conftat) quia tunc, fi non fiat à minore, non datur ei reftitutio. Oftendit etiã pluribus Parif. à n. 65. quòd in hoc cafu minor non fit læfufcùm nihil ei acquiratur ob non factam publicationem; minor autem non reftituitur, ubi non eft læfus, ut citatis pluribus legibus, Auctoribus, & adductis exemplis probat à n. 65. Adeoque jam cadunt omnia, quæ in contrarium obijciuntur, utpote fundata in læfione, & amiffione juris. Parif. n. 72. qui etiam n. 73. fubjungit reponfionem hanc de non reftituendo in integ. om minore eò magis procedere, fi beneficium jam fuit impetratum ab alio, ob non factam publicationem; eò quòd tunc res non fit amplius integra; dum autem res non eft amplius integra, minor non reftituitur, prout habet Abb. in c. ex parte. n. 14. de reftitut. fpoliat. Boët. decif. 350. n. 4. Thom. de Tanis decif. 54. qui reftentur, hanc effe communem. Ac denique concludit hoc ipfum de non reftitutione in integrum, etiam dum non eft res amplius integra, hanc recipere limitationem, nifi factò alterius fuerit impeditus publicare, de quo agit l. 11. q. 12. per totam.

Quæftio 788. An & qualiter à Papa derogetur huic publicationi, vel etiam hoc tempus prorogetur, & an, & qualiter post lapfum hujus temporis non factà publicatione, concedatur reftitutio ad publicandum?

Refpondeo ad primum: Derogari quandoque à Papa publicationi, five concedi, ut quis non teneatur publicare beneficium fibi refignatum. Debet autem hoc privilegium effe fpecialiter concessum, Parif. cit. q. 7. n. 64. & 67. qui tamen fubjungit n. 68. fe audiviffe, hodie non dari hujusmodi privilegia, & fic fervari,

2. Refpondeo ad fecundum: Poteft, & folet quandoque tempus illud fex, vel novem menfium datum ad publicandum à Papa prorogari ad duos, tres, vel quatuor menses Refignatario, dum adhuc exiftit intra præfixos 6. vel 9. menses, viditque fe intra illos facere non poffe publicationem, pro eo, ut nimirum dicti 6. vel 9. menses ad alios 4. vel 3. vel duos prorogentur, fupplicante. Babof. juris Ecclef. l. 3. c. 15. n. 194. ubi etiam formam hujusmodi fupplicationis ponit, Parif. l. 11. q. 7. n. 69. Notandum etiam eft, quod habet idem Parif. l. 11. q. 13. in fine. ubi: de ftvlo non folum ob hanc caufam (nimirum ob vacantiam Sedis Papalis, quo tempore non potuerunt expediri literæ, & hinc non publicari) & aliam fimilem datur prorogatio: fed etiam absque caufa legitima, & ita vidi obfervari pluries, modò non fit in alterius præjudicium.

3. Refpondeo ad tertium: Pari modo poteft, & folet quandoque concedi à Papa prorogatio, feu potiùs reftitutio post elapfum præfixum terminum fex vel novem menfium. Babof. loc. cit. (qui etiam in fine n. 194. addit, fape etiam per Signaturam Juftitiæ folet concedi reftitutionem in integrum adverfùs publicationem non factam) Parif. loc. cit. Ventrigl. loc. cit. n. 75. Lott. l. 3. q. 2. n. 35. Refignatario pro hac reftitutione porrigente fupplicationem, in qua narretur, non effe factam publicationem, & effe elapfum tempus datum ad publicandũ, & peccatur reftitutio adverfùs lapfum iftorum menfium, & repositio ac plenaria rei integratio in ftatu, in quo effet, fi infra 6. vel 9. illos menses aliàs ad publicandum præfixos, adhuc exifteret; ac ita reftitutus adverfùs lapfum temporis publicationis recuperat omne jus fuum. Parif. cit. n. 69. & 70. Neutiquam autem dicta prorogatio, aut reftitutio operaretur, fi medio tempore jus alteri in illo beneficio quæfitum fuiffet per collationem ei factam ab eodem Pontifice. Unde & apponi folet in conceffione Pontificis claufula præfervativa juris Tertii hoc modo: *Dummodo tempore Data præfentium non fit alicui ob lapfum temporis hujusmodi in dicto beneficio fpecialiter jus quæfitum*: Parif. cit. q. 7. nu. 79. & ex eo Ventrigl. (qui etiam addit, hanc claufulam, etfi non fit expreffa, femper fubintelligi) vel certè, ut Parif. cit. q. 7. n. 72. in hujusmodi gratia reftitutoria adverfùs lapfum temporis publicationis requiretetur derogatio Regulæ de jure quæfito non tollendo. Solet etiam in eadem conceffione exprimi, quòd Orator ex dicto beneficio nullos interea fructus perceperit. Babof. loc. cit. uti &, ut publicatio intra tempus illud in prorogatione concessum fiat, quod etfi non exprimeretur, faciendum tamen foret. Babof. loc. cit. Non tamen ipsam hanc reftitutionem ad publicandum obtentam publicandam effe, tradit Parif. n. 71. juxta decif. Rotæ in una Oximens. 2. Decemb. 1583. Debere quoque, ut valida fit, & fuffragetur dicta reftitutio, ab obtinente illam fieri mentionem de pendentia litis, fi quæ fit, tradit Garc. p. 11. c. 3. n. 304. & ex eo Ventrigl. loc. cit. juxta refofutionem Rotæ in Vacens. Capellan. 16. Feb. 1598. quem citant. Quod fi autem narrasset in dicta fua fupplicatione Refignatarius, quòd ex certis caufis præpeditus non potuerit publicare, non tenent eum ad verificandum illa impedimenta, tanquam verius tenet Parif. cit. q. 7. n. 74. eò quòd gratia reftitutionis non fit fuper hoc fundata, quam dicit rationem, quæ moverit Rotam ad fic decidendum in Oximens. benef. 2. Decemb. 1585. Et quòd hujusmodi verba appofita fuerint folum pro colore reftitutionis, ficur fit in fupplicationibus Refignationum, in quibus dicitur: *ex certis caufis animum suum moventibus resignet*. Econtra uti exprimi debet, quòd resignans adhuc vivat, ita & idipfum iuftificari debet: cum fuper eo fundetur gratia reftitutionis. Parif. n. 74. juncto nu. 78. De cetero Ordinarium in refignationibus coram eo factis non poffe elapfo tempore ad publicandum præfixo reftituere adverfùs publicationem non factam, eò quòd, eà non factà, eo ipfo vacet beneficium difpofitioni Sedis Apoftolicæ, tradit Ventrigl. loc. cit. n. 76.